



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 85. Ignavia Helvetiorum a Gallorum exercitu excedentium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

**Sæcul. XVI** Scanderbegi familia furculum, qui his  
**A.C. 1525.** equitibus præerat, trucidavit.

## §. LXXXV.

*Ignavia Helvetiorum a Gallorum exercitu excedentium.***Caic. 1.15.**

**H**aud minori animi fortitudine Lescunus, Brionius; & Fridericus de Gonzaga usque ad Cæsareorum tormenta penetrabant, eorumque excubias dispergebant; Helvetii quoque, qui ad Regis dexteram dimicabant, in transversa Hispanorum latera invadebant, eosque pedem referre cogebant. Interim Lanoyus suos ad fugam inclinare comperiens, nulla mora Marchionem Piscarium cum quibusdam Germanorum peditum copiis adesse iussit, easque Helvetiis opposuit; ubi ad solum Germani agminis conspectum Helvetii pristinae fortitudinis immemores, titubare, & per summam ignaviam prælii campum deserere cæperunt, ac Mediolanum profugerunt, nequicquam adhibitæ Regis precibus, qui fugam sistere toto studio conabatur. Incaustum etiam illis animum reddere moliebatur Fleurangius, qui cum sua Cataphractorum centuria eis occurrens pollicebatur, se suis injuncturum, ut ex equis desili-  
 gent, ac juncta cum illis opera primam  
 aggres-



Sæcul. XVI.

A. G. 1525.

aggressionem tentarent. Verum Helvetii ejusmodi verba, imo & probra eis objecta irridebant, unde his inde abeuntibus Gallorum peditatus solis constabat Germanis, qui vulgo nigra peditum turma vocabantur, ac sub imperio Francisci Lotharingii & Suffolciæ Ducis militabant. Hi equidem invicta virtute dimicabant, ac obfirmato vincendi animo Borbonii & Lanoyi impetus aliquamdiu sustinebant: cum autem numero nonnisi quatuor aut quinque milia essent, una omnes a Cæsareis trucidati fuere, ut nequidem unicus fuga mortem evaderet, ac ipsimet ambo Belliciduces Lotharingius, & Suffolcius peracto prælio ex occisorum acervis extrahi deberent, ut saltem terræ mandarentur.

Accepta hac clade tota certaminis moles Regiis copiis impendebat, sed & ipsæ jam tertio fusæ, totiesque ad signa revocatæ, tanta desperationis rabie in hostium agmina irruerunt, ut Piscarius illorum Dux in terram delapsus, ac graviter saucius equorum unguis protrititus fuisset, nisi ejus amici promptam periclitanti opem tulissent. Accurrebat ad periculum Lanoyus, verum devictus, vitæ discrimen ægre fuisset elutatus, nisi Borbonii Dux adventasset, qui adhucdum fuso Gallorum peditum

L 1 3

fan-



Sæcul. XVI

A.C. 1525.

sanguine manans tanto impetu mediam aciem, cui ipse Rex præerat, invasit, ut Gallorum acies intaurari haud amplius posset.

## §. LXXXVI.

*Procerum quamplurimi penes Regem trucidati.*

In turbato hoc rerum statu nil reliquum erat, quam ut illi, qui animi fortitudine, ac pio in Regem affectu ceteris eminebant, Franciscum cingerent, eumque valide tuerentur. Ex his quanto citius cadebant ante Regis oculos egregia morte defuncti Palicius, Trimollius Dux, Galeatius Sanseverinas supremus Franciæ Armiger, nec non alius ejusdem nominis Magnus Regiæ Magister, præter quos etiam Bonivetus occisus est, cujus obitus famam nullius luctus excepit. Quin imo referunt nonnulli, quod Borbonius furore ac vindictæ cupidine accensus studiose in occisum inquisierit, ac tandem sine armis, ac vestibus reperto exprobraverit hæc verba: O infelix, tu meæ ac Franciæ ruinæ causa fuisti. Enimvero communi omnium judicio Boniveti interitus adscribebatur promeritæ poenæ, quam ob perversa sua consilia, & nimiam, qua Regis animum suo arbitrio

*Brantome  
vie des Hom-  
mes illustr.*